



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVIII. Gregorii Papae I. Ad Theodorum Consiliarium. Acosimum  
puerum dono dat per epistolam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA XVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD THEODORVM CONSILIARIVM.

Acosimum puerum dono dat per epistolam.

*Gregorius Theodoro consiliario.*

**E**CCLESIASTICIS vtilitatibus defudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, vt qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subiiciunt, digne nostris prouisionibus consolentur. Quia igitur te Theodorum virum eloquentissimum consiliarium nostrum mancipiorum cognouimus ministerio destitutū, ideo puerum nomine Acosimum, natione Siculum, iuri dominioque tuo dari tradique præcipimus. Quem quoniam traditum ex nostra voluntate iam possides, huius te necesse fuit scripti pro futuri temporis testimonio ac robore largitantis auctoritate fulciri; quatenus Domino protegente secure eum semper & sine vllius retractationis suspicione, quippe vt dominus, valeas possidere. Neque enim quemquam fore credimus, qui tam paruam largitatem, pro tua tibi deuotione concessam, desideret vel tentet vlllo modo reuocare: cum vno eodemque tempore, & verecundum sit a decessoribus bene gesta resoluere, & verecundum sit docere ceteros in sua quandoque resolutoriam proferre largitate sententiam.

Grat. 12. q.  
2. c. 67. Po-  
lyc. lib. 3.  
tit. 13.

## EPISTOLA XIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM CAMPANIÆ.

Vt de reliquiis sancti Seuerini transmittat.

*Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.*

**C**OR nostrum pia diuinitatis inspiratione compungitur, loca quondam execrandis erroribus deputata, in catholicæ religionis reuerentiam dedicare. Quia igitur ecclesiam positam iuxta domum Merulanam regione tertia, quam superstitione diu Ariana detinuit, in honorem sancti Seuerini cupimus consecrare, experientia tua reliquias beati Seuerini summopere debita cum veneratio-

O o iij